

G. A. O.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:
**AN VOLENTI
FIERI POSSIT
INJURIA?**

QUAM
*Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici
in illustri ad Auram Athenæo,*

PRÆSIDE

MAG. **JOHANN E
BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publico bonorum examini modeste subicit

ALUMNUS REGIUS,

ISRAËL STÅHLBERG,

TAVASTENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI DIE IV. JUNII

ANNI MDCCLXVII.

H. A. M. C.

ABOÆ,
Impressit JOH. C. FRENCKELL.

Kongl. Maj:ts
Ero Tjenare och LIEUTENANT,
Wälädle/
Herr M A G N U S
L Ö F W I N G,
Gunstige Gynnare.

Ståndan af Herr Lieutenantens ogemena
Wälgärningar mot mig kan ej annars/
än hos mig upwäckta djup wördnad för Herr
Lieutenantens Person/ tacksam årkänsla för
Des wälgärningar/ glad plickt at allmänt be-
tyga sådant. I hwilken affikt upoffras åt Herr
Lieutenanten denna korta afhandling. Liten
gåstwa/ men mycken wälmening; ingen weders-
gälning/ men dubbel ihogkomst. Denna förenar
jag med beständig förbön för Herr Lieutenan-
tens lyckliga wälgång. Himlen gifwe Herr
Lieutenanten ljuflig lefnad för all framtid/ ro-
lig ålderdom för mycken möda/ och åndeligen
sält slut uppå Des dagar. I hwilken önskan
med wördnad framhårdar

Wälädle Herr Lieutenantens

Ödmjukt Tjenare,
ISRAEL STÅHLBERG.

Handelsmannen

I Sjö- och Stapel Staden ÅB D/

Högachtad

Herr **JACOB SIMOLIN,**

Högtårade Gynnare och Anförwant.

Sör flera twålgärningar/ än en lam fjäder
kan affskildra/ upoffras Eder/ Min Gunstige
Gynnare och Anförwant/ Dessa ringa blad/
ej til någon wedergålning för Eder godhet/ ut-
tan til et wedermåle af tacksam erkänsla. Up-
tagen därföre benågit det/ som är ristat wäl-
ment. Förshnen göre Eder lefnad mångårig och
säll. Det skal blifwa min beständig och uprik-
tiga önskan/ hwarmed jag framhårdar

Högachtad Herr Handelsmannens

Sdmijute Tjenare,

ISRAEL STÅHLBERG.

Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo;
Dn. Mag. CAROLO FRIDERICO
LEOPOLD,

Ecclesiæ, quæ Deo in Ithis colligitur, Sacellano
Meritissimo,

Parentis loco ad cineres suspiciendo.

Viro Perquam Strenuo,

Dn. JOHANNI STAHLBERG,

Subsignifero Dignissimo,

Patruo ut unico, ita ex intimo pectore amando.

*Vobis. Parens. Benignissime. Et. Patruæ. Carissime.
Opusculum. Hoc. Nitore. Prorsus. Orbatum. Nullis-
que. Verborum. Phaleris. Conspicuum. In. Tesseram.
Debitæ. Observantiæ. Et. In. Spem. ulterioris. Benevolen-
tiæ. Cum. Calidissimo. Voto. Pro. Perenni. Vestro. Flo-
re. Dat. Dicat. Dedicat.*

NOMINUM. VESTRORUM.

*Obedientissimus & Observantissimus
Cultor*

ISRAEL STAHLBERG.

I. N. J. C.

§. I.

Triplicem dari methodum Moralia tradendi, *Paræneticam* scilicet, *Paradigmaticam* & *Dogmaticam*, qui Philosophiam vel a limine salutaverit, fugere potest neminem. *Parænetica*, ut de ceteris nihil jam dicamus, hanc esse indolem novimus, ut nudas sapientum sententias ac morum præcepta succincte exhibeat, svavi, perspicua & concisa oratione, ceterum ipsa nec de nexu veritatum systematico, nec de concatenatis demonstrationibus est sollicita. Non multum disputat, non subtiles amat argumentationes, nec arte utitur syllogistica: sed præcipit, sed adhortatur, sed excitat saltem & animum quasi pungit. Monstrat hæc certam viam ad desideratam metam, nempe felicitatem, perveniendi; ducesque euntibus adsunt luculentissimi, hinc *Justitia*, illinc *Beneficentia*. Enimvero sicut in hortis reperire licet flores, qui colorum varietate ac venustate oculos pascunt, atque odorum fragrantia nares animumque recreant, quos vero si in ulteriorem convertamus usum, maxime noxios deprehendimus; ita inter præclaras paræneses inveniuntur subinde tales, quæ nonnisi cum grano salis sunt admittendæ. Quum

vero lapsus in Moralibus sit gravissimus, siquidem conscientia lædatur, vitiisque patrands advescant mortales, quorum præstigiis seducti infelicitatis voragine abripiuntur & tandem submerguntur; quisque facile animadvertit, quod generis humani maxime interfit, ut speciosæ paræneses a veris probe discernantur, ne nubem pro Junone amplectamur. Quocirca quum inde ab antiquissimis temporibus inter paræneses relatus fuerit canon: *Volenti non fit injuria*; hunc ad æquitatis & justitiæ trutinam paucis hisce pagellis examinare constituimus. Interea vero dum hoc facimus, Te, C. L. qua par est observantia rogatum volumus, ut quod in medium proferre tenuis nostra valeat Minerva, benigne excipias, saltem mitiori perstringas censura.

§. II.

Ne in leges justæ methodi impingamus, tam de *injuria*, quam de *voluntate* erunt nonnulla præmittenda; ut sic sententiam nostram de Canone: *Volenti non fit injuria*, facilius aperiamus. Sicut *Læsio* in genere est actio quævis, per quam alter imperfectior redditur; ita *Injuriam* definimus per læsionem, quam quis ex proæresi alteri præter suum meritum infert. Alii definiunt injuriam per læsionem, qua ex proæresi & destinato consilio alicui invito & non laceßenti malum infertur; quam definitionem nos admittere haud possumus, luculenter, ut opinamur, ostensuri in sequentibus, quod injuria ille etiam interdum possit adfici, qui in factum quoddam consenserit. Hinc porro apparet, quantum injuria differat tam a *culpâ* quam

quam ab *infortunio*. Si enim non destinato consilio, sed per errorem vel negligentiam quid fiat, *Culpa* dicitur, quia culpari meretur & ad damni reparationem imputatur; attamen nisi malitia accesserit & nocendi propositum non punitur. *Infortunium* a vi majore Divina naturali vel humana exortum non præstat; quia incerti casus aut non prævideri, aut prævisi non præcaveri possunt.

§. III.

Ornavit Summum Numen animam nostram duabus, eisdemque præstantissimis, facultatibus: *intellectu*, quo res sibi distincte repræsentare ac verum a falso discernere valet, atque *voluntate*, qua bonum appetit, malum autem averfatur. Quicumque enim ad se ipsum adtenderit, facile animadvertit, quod, absoluta boni alicujus repræsentatione, mox in nobis oriatur inclinatio major minorve pro diversa mensura bonitatis in objecto, bonum illud consequendi; sicut e contrario dum mali idea nos percellit, omnia molimur, ut idem effugiamus. Ab ipsa autem repræsentatione, cujus origo est natura animæ simplex, differt qua indolem specificam vis appetendi & averfandi; ex multiplicatis enim utcumque repræsentationibus nunquam oriri potest vel appetitus vel averfatio, si istæ repræsentationes nullam relationem ad statum nostrum habeant, adeo ut eundem vel perficiant vel deteriores reddant. Determinatio igitur ad agendum, quæ ex sola vi repræsentativa animæ minime intelligitur, conjuncta cum vi animæ essentiali, voluntatis & voluntatis naturam constituit. Quod igitur intellectus & volun-

voluntas a se invicem differant, ut unum essenziale ab altero, nunquam nobis persuadere possumus. Appetit quidem voluntas, ceu modo dictum est, bonum; sed quum non omnia, quæ sub specie boni desiderat animus, vere bona sint; igitur probe observanda est distinctio inter Bonum verum & apparens. *Bonum verum* appellamus, quod studium virtutis corroborat, vitia autem reprimat. Illud juvat simul ac delectat, adeoque est instar cibi salubris & bene præparati, qui exhaustas corporis vires reficit, integras vero confirmat. *Bonum apparens* dicimus, ubi, appetitus vincit rationem & voluntas proinde sensuum, imaginationis & adfectuum turbulento subjacet imperio. Delectat bonum apparens in præsens, in futurum nocet. Est igitur instar dulcis veneni, non tamen confestim necantis, sed lentam inferentis tabem.

§. IV.

Sicut nihil fit sine ratione sufficiente; ita nec voluntas nostra ad actionem quandam se determinat sine præviis motivis. Heic autem voluntati partim sese offert Ratio, partim imaginatio & sensuum atque adfectuum familiæ sese obtrudunt, quarum unaquæque sua jactat munera & meram pollicetur felicitatem, Ratio verum proponit bonum; adfectus & sensus præsentem sistunt svavitatem, hominemque, motiva perpenfurum, interstrepunt, turbantque. In confusa autem motivorum consideratione fieri vix potest, ut quis rite observet merita & mensuram bonitatis in objecto, eidemque attemperet actiones, qualitatem aut gradus. Hinc apud multos, præsertim apud eos, qui
justa

justa se metiri decempeda aut adfectibus frena injicere non didicerunt, plus valent adfectuum lenocinia, quam rationis dictamina, illisque se in transversum rapi sæpe patiuntur. Quæ diximus, illustrari possunt eleganti exemplo, quod OVIDIUS *circa init. L. VII. Metamorph.* adfert. MEDEA, Virgo Regia, vehementer exarserat in Principem Græcorum JASONEM: animus præfagiebat infelix conjugium: dissuadebat ratio conjunctionem cum homine peregrino & ignoto: sensus autem formosum juvenem commendabant. Hunc animi tumultum ita exprimit MEDEA:

*Excute Virgineo conceptas pectore flammæ,
Si potes, infelix. Si posses, sanior essem.
Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud svadet. Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.*

Scilicet *Medea* videbat meliora secundum intellectum, rationi sese conformiter gerentem; sequebatur autem seu eligebat deteriora secundum voluntatem, sensibus obsequentem. Illius præceptis obtemperans poterat flammæ pectore excutere, & tunc mutata fuisset voluntas; horum agitata illecebris, quæ stimulos addebant stimulis, non poterat. Ex quibus apparet, quod voluntas nostra interdum velut ægra sit, dum scilicet præjudiciis, adfectibus & sensibus regitur; quibus dum sibi illud patitur homo, ad talia se non raro determinat, quæ felicitatem ejus non tam promovent, quam destruunt. Quare distingui solet inter *Voluntatem antecedentem*, qua quis ad actionem suscipiendam se prius determinat, quam singulas hujus circumstantias probe

ruminaverit, & *Consequentem*, qua actionem circumstantiis, quæ tempore actionis se exerunt, attemperare studet. Quare voluntas consequens ab antecedente diversissima interdum videtur.

§. V.

Quamdiu homines in actionibus versantur licitis, Volenti non fit injuria. Actionem licitam vocamus eam, de qua Lex sive Divina sive humana in neutram partem quidquam disponit. Quamdiu igitur in talibus versantur homines, in nullam impingunt legem; quare nec alteri, si in actionem consenserit, malum infertur, adeoque nec in injuria. Adde, quod in actionibus licitis suscipiendis tranquillus plerumque sit animæ nostræ status; quare etiam justa cura expendere possumus singula momenta, quæ circa actionem occurrunt, antequam eidem patrandæ nos se accingamus. Pone ex. gr. quod quis sibi comparat prædium pretio, de quo inter venditorem & emtorem libere fuit conventum, & quod ab utraque parte omnia sincere agantur: pone vero insuper, partim quod proventus hujus prædii calculo emtoris non respondeant, partim quod pretia rerum, sicut mutabiles sunt hominum vices, decrescant; tunc licet emtor revera minus in hoc statu habeat, quam si numeratam retinisset pecuniam, attamen de injuria conqueri non potest, quum & venditor & emtor in re licita versentur, nec in ipso pacto quidquam vitii reperiatur.

§. VI.

Si homines in re illicita atque mala versentur, volenti fieri potest injuria. Homines quidem nihil appetunt

petunt nisi bonum, sed hoc duplex est verum & apparens, quorum hoc sub speciosa bonitatis larva re ipsa malum continet: dum igitur homo in bonum apparens fertur, revera in malum properat. Si igitur quis favum bonitatis apparentis alteri propinet, arque ita voluntatem ejus moveat, re ipsa malum, quod tale esse novit & quod alter ex postfacto tale esse animadvertit, ei infert. Sed qui malum alicui præter suum meritum infert, ipsum injuria adficit. Ergo volenti fieri potest injuria.

§. VII.

Volenti fit injuria, si hic in errore genuina indolis facti versetur; quæ injuria tanto gravior censetur, si alterius culpa in hunc statum pervenerit. Qui enim errore ductus in factum quoddam consentit, ille re ipsa non in factum propositum, sed in aliud, a priore diversum, consentit; & cum effectus disparis hujus facti sit diversus, igitur si posterius ad felicitatem illius conducit, prius ad incommodum ejus sive directe sive indirecte conferet, adeoque malum est, quod volenti, sed erranti, præter meritum infertur, & proinde injuria, quæ tanto gravior censetur, si alter malo consilio in errorem induxerit alterum, quippe fallendi artes e diametro contrariantur legibus. Et licet unicuique incumbat, omnia prius ad vivum refecare, quam factò se accingat, non tamen propterea vel fas vel licitum est, facilitate & simplicitate alicujus temere abuti. Exemplo rem illustrabimus. *Jacobus*, ad avunculum *Labanum* perveniens, pactum cum ipso iniit, vi cujus per VII. annos curam pecoris ejus ageret, si mo-

do, his transactis, filiam ejus *Rachelem* in matrimonium impetraret: quod utrinque sancitum fuit. Venit desiderata dies: ducitur *Jacobo* uxor: vult matrimonium, quod celebratur; quum *Rachelem* crederet stolatam sponfam, sed artibus *Labani* sponso obtruditur *Lea*, cujus nullò ducebatur amore. Quin *Jacobo* ita facta fit injuria, vix quisquam dubitabit. Malum enim est, rationes suas œconomicas præter meritum turbatas videre: malum est, sibi ingenuo per pacta temere illudi: malum denique est, suos labores ac molestias, longo tempore devoratas, prorsus contemni.

§. VIII.

Volenti fit injuria, si alter illius adfectus commoverit, atque, his astuantibus, efficiat, ut alter velit factum propositum. Quantum verborum lenocinia & gestuum blandimenta valeant ad aliorum adfectus commovendos, satis docet experientia. Si igitur quis, adfectibus astuantibus, in factum quoddam consentiat, hic non rationem, sed imaginationem & sensus consulit; ideoque pro vero bono apparens, id est, verum malum, eligit. Sed quum alterius culpa in talem statum pervenisse supponitur; evidens est, quod præter suum meritum malo quodam adficiatur, adeoque ei, licet volenti, fiat injuria. Pone, quod quis virginem blanditiis circumveniat, eoque rem tandem perducatur, ut ipsa *Zonam* virgineam dirumpi permittat; plerique contendunt, quod salaci huic puellæ nulla fiat injuria, quia voluerit factum & in idem consenserit. Sed qualis, quæso, est hic consensus, dum animus adfectibus turbatur & actionis

cir-

circumstantias nec ponderat, nec rite ponderare valet. Certe quod simplex illa & credula puella vult voluntate antecedente, idem non vult voluntate consequente. Contendunt autem, qui defendunt canonem: *Volenti non fit injuria*, quod non tam ipsi feminæ, quæ stuprum patitur, fiat injuria, quam potius parentibus & cognatis, quibus infamiæ labes ita inuritur; quo etiam intuitu scortator ex tenore legum civilium pœna adficitur. Quid vero? Si dicta femina ex sua familia fuerit sola superstes. In hoc casu pœna stupratoris aut nulla erit, aut saltem minuenda, si ratio allata esset genuina. Læditur autem femina ipsa, quamvis adfectibus delinita velit, quodad exillimationem suam, & de salute ejus temporali plerumque ita actum est. Quod nisi quis injuriam dicat, nescio quid præterea. Sed læditur præter suum meritum, nam ut canit Poëta:

*Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria, Simplicitas digna favore fuit.*

Nam si pulchra femina, si venusta, si elegans, si festiva, an propterea corrumpi meretur? Potest certe stupratori applicari illa Thæidis sententia apud **TERENTIUM**:

*----- Non te dignum, Chærea,
Fecisti. Nam si ego digna hac contumelia
Sum maxime, At tu indignus, qui faceres, tamen.*

§. IX.

*Volenti fit injuria, si hunc alter ad eas redigat
incitas, ut optio tantum ei relinquatur inter duo ma-
la,*

la, ex quibus minus vult, eligit ac committit, ut majus declinet; præsertim si inimico nullum competat jus alterum cogendi. Valet in Moralibus sententia: Quod voluntas cogi non possit. Quid enim est voluntas coacta? Est voluntas & simul, si barbare loqui liceat, noluntas. Sed homo potest cogi, ideoque voluntas per novas circumstantias & ideas in alium statum inflecti ac mutari potest. Id quod præcipue contingit, quoties ex duobus malis minimum est eligendum. Minus enim malum tunc induit naturam boni, & qua tale eligitur. Voluntas ergo nunquam cogi potest, ut bonum pro malo aut malum pro bono habeat, sed homo cogi potest, ut minus malum velit ac toleret, ut minus bonum eligat vel bonum apparens vero præferat; quod certe non faceret, si sui esset arbitrii. Si quis igitur efficiat, ut alter ex propositis malis minus non propter se, sed pro circumstantiarum ratione eligat ac velit, ille malo quodam alterum adficit, & quidem præter illius meritum; siquidem nullo cogendi jure munitus supponitur, adeoque nullum est dubium, quin coactus, licet in factum propositum consentiat, injuriam tamen patiatur. Ex. gr. In Lucretiam, Collatini uxorem, quam modestia & vitæ innocentia commendabant, exarserat Tarquini Superbi filius, ipsamque plurimum sollicitavit, ut impudicis suis annueret precibus. Sed quum meritam tulisset repulsam, immeritum ipse meditatur facinus. Convenit mulierem, minatus si suo desiderio non satisfaciat, se ipsam protinus interemturum. Sed quum ferali hac senten-

tentia nihil moveretur Matrona Romana, Tarquinius ad metum addit dedecus, ut docet Livius, cum mortua jugulatum servum nudum positurum, ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Ita Lucretiæ non amplius fuit optio inter mortem & ignominiosam vitam, sed tantum inter flagitiosam vitam & turpissimam mortem. Re igitur delibata, ferociæ Tarquinii cessit, corporis violationem memoriæ, perpetua infamia maculatæ, præferens. Ferreus sit oportet, qui non confitetur, Lucretiæ, stuprum potius, quam maxime ignominiosam mortem eligenti, gravissimam factam fuisse injuriam.

§. X.

Quamvis plerique Moralium Doctores contendunt, quod volenti non fiat injuria; attamen si veram ipsorum mentem magis, quam nuda canonis hujus verba expendamus, facile inter nos conveniemus. Voluntatem enim dividunt in *plenam* & *minus plenam*. Illam, quam hic intelligunt, dicunt, qua homines ea appetunt, quæ prævia libera ac matura circumstantiarum consideratione statum suum perficere judicant. Hanc autem nuncupant, quando sensus & affectus sobria rationis decreta impediunt aut pervertunt. In priore casu, dum voluntas a ratione probe est illuminata & hujus decreta libere sequitur, malum omnino effugit homo, adeoque in hoc casu nulla volenti fieri potest injuria; quod nos etiam in antecedentibus evictum dedimus, ostendentes, quod, quamdiu homines in actionibus versentur licitis, nulla volenti fiat injuria.

ria. In posteriori autem casu, dum adfectuum turbine rationis lumen magis minusve intercipiunt, quod in actionibus, boni speciem habentibus, plerumque contingit, quisque videt, quod alteri volenti, etjam præter suum meritum, inferri queat malum, quod nos appellamus injuriam.

§. XI.

Hæc fuerunt illa, quæ circa præsens argumentum in medium adferre constituimus. Pauca quidem sunt, sed prolixiores meditationes nec temporis fert ratio, nedum tenues nostræ facultates permittunt; verum hæc tamen suo non destitui usu speramus. Multi enim sunt adeo perfrixiæ frontis, ut, dum malum quoddam commiserunt, gravitatem flagitii imminuere & callum conscientiæ suæ obducere nitantur trito hocce proverbio: *Volenti non fit injuria*. Discant autem ex modo allatis, quod hujus axiomatis prætextu nullam mereantur veniam aut excusationem vel in foro civili, nedum in foro conscientiæ & Divino. Discant etjam minus laxa esse licentiæ pomeria, quam pridem crediderint. Tu vero, O! Optime DEUS, qui voluntatem nostram perficis & vires, quæ summa Tua est gratia, nobis largiris, quod bonum & Tibi acceptum est, agendi, efficia, submissemur, ut nihil meditemur, nihil velimus, nihilque unquam agamus, nisi quod ad Nominis Tui gloriam & nostram aliorumque veram pertineat felicitatem!

